


URBANUS SECUNDUS

P A P A CLIX.

ANNO ÆRÆ CHRISTI COM. MLXXXVIII.



Otto, seu Odo, in Provincia Remensi natus, ipsaque in Ecclesia Remensi educatus, antea Prior Monasterii Cluniacensis, mox a Gregorio VII. S. R. E. Cardinalis, atque Ostiensis Episcopus factus, & in Germaniam Legatus Apostolicæ Sedis missus, creatus est Summus Pontifex, ac consecratus die 12. Martii ann. 1088. ac Urbanus Secundus appellatus. Sed in Pontificatu, imperantibus, in Oriente Alexio Comneno, in Occidente Henrico IV. ann. xi. mens. iv. d. xviii. (a) Obiit enim Romæ die 29. Julii ann. 1099 & sepultus est in Basilica Vaticana. Vacavit Sedes d. xv. (b)

(a) Parva quidem ac conuenienda Catalogorum diuersitas, ex Scriptorum incuria orta. (b) In vi. ex Catalogis Criticæ Baron. præfixis legitur Cess. Episc. d. xxv. Scriptoris certe negligentia, qui Denarium adunxit. Notandum vero in diebus xv. hoc modo assignatis utrumque iuxta morem includi extremum.

Confirmatio honorum, ac privilegiorum omnium Cluniacensis Monasterii, quod soli Apostolicæ Sedi subiectum declaratur: ejusque Abbati Mitra, Chyrothecarum, & Sandaliorum usus conceditur.

Ex Biblioth. Cluniac. Martini Marrier. col. 514.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, Hugoni sanctissimo Abbati Cluniacensi, ejusque successoribus in perpetuum.

Exordium.

CUM omnibus sanctæ filii Ecclesiæ ex Sedis Apostolicæ auctoritate & benevolentia debitores existimus; venerabilibus tamen personis, atque locis, maxime, quæ Apostolicæ Sedi semper specialius adhaeserunt, ac deuotius, quæque ampliori Religionis gloria eminent, propensiori nos convenit charitatis studio impendere. Tibi ergo, sanctissime & reverendissime, ac dilectissime frater, tam ex antiquæ Sedis Apostolicæ familiaritate, quam ex nobilissima tua ruique Cœnobii religionis reverentia, singularis a nobis debetur prærogativa dilectionis. Est præterea, quod nos tibi non minus tuoque Monasterio faciat debitores, quoniam per te Monasticæ religionis rudimenta suscepi. In tuo Cœnobio per secundam sancti Spiritus gratiam sum renatus, cui hæc impensiori gratia Romana Ecclesia dilectionis ac protectionis curam impendisse dignoscitur. Quicquid igitur libertatis, quicquid immunitatis, quicquid auctoritatis tibi, tuisque successoribus, tuoque Cœnobio, per antecessorum nostrorum privilegia concessum fuisse constat, nos quoque hujus nostri decreti pagina conferimus, tradimus, confirmamus. Hoc insuper adjicientes, ut Monasterium sanctæ Mariæ de Charitate, Monasterium sancti Martini de Campis apud Parisios, Monasterium sancti Dionysii apud Nungentum, S. Mariæ de Nazara, S. Gervasiide Exis, S. Mariæ de Arulis, S. Petri de Campo-Rotundo, S. Genesii in Elnensi Episcopatu, S. Pauli in valle Olei, S. Mariæ de Cubaria, S. Mariæ de Salella, S. Mariæ de Tolosa, S. Trinitatis in Marciniaco, quod tu in alodio proprio edificasti, nunquam tuo, tuorumque Successorum regimini ordinatione subtrahatur. Cætera vero omnia, quæ antecessores nostri vestro Monasterio privilegia tradiderunt, nos quoque contradimus, atque firmamus. Moisiacense sane Cœnobium in ea, qua nunc est, in posterum libertate permaneat, nisi forte Episcopus admiserit, propter quod ejus debeat ditione privari. Quicumque autem melioris vitæ appetitu vestrum voluerit advenire Cœnobium, libera tibi, tuisque successoribus facultas maneat, secundum tenorem regulæ S. Patris nostri Benedicti eos suscipere. Præterea decernimus, atque stabilimus, ne quis ultra Legatus, Romani Antistitis vices in vestris partibus agens, absque ipsius licentia vel præceptione buccam in vos, aut vestra Monasteria audeat aperire, vel nisi ad id ipsum specialiter dirigatur. Episcopis vero, in quorum Dialectibus vestra sunt facultates, omnino non liceat de vestris Monachis aut Monasteriis judicare: Salvo canonico illo jure, quod in eis hæcenus habuerunt. Si quid autem cause in eos habuerint, te, tuosve successores appellent. Quod si per vos lis nequiverit definiri, ad Sedem Apo-

Urbani II. in minoribus cū esset, vita monastica in Monast. Cluniacensi.


Confirmatio privilegiorum omnium summis Pontificibus eidem concessorum & Monasteriorum, quæ in alodium ab eodem adeptæ sunt;

Idem de Moisiacensi Cœnobio, habito tamen prius Episcopi disceptatione consenti: Facultas conceditur monasticum habitum cuiusque impertiendi. Ipsis Legatis Apost. Sedis cuiuscumque juris exercitium in rebus Monasterii denegatur: Sicut etiam Episcopis, salvo jure, quod a canonibus datur. Lites, Abbatis vel Sedis Apostolicæ iudicio definiendæ.

Eidem Mitra, Chyrothecarum, & Sandaliorum usus conceditur.

Dalmaticæ, Chyrothecarum, & Sandaliorum usus conceditur.

Apostolicam referatur, ejus solius, vel Legati ejus iudicio definienda. Tibi plane peculiari devotione concedimus, ut in processionum Missarumque solemnibus mitra utaris Episcopali. In præcipuis vero festivitibus, id est in quinque, quas præcipuas habetis: & in Theophania: & in Ascensione: nec non & in Dedicatione vestræ Ecclesiæ, Dalmaticam, Chyrothecas, & sandalia induaris. Et hoc ad tuæ Religionis evidentiam, atque ostensionem nostræ peculiaris dilectionis, quam ex Sede Apostolica magis meritis exigentibus promeris. Tuam de cætero concedet sanctitatem, quemadmodum ab Romana Ecclesia specialius honoratur, ita ejusdem Ecclesiæ servitiis & utilitatibus singulariter insudare: quantum, & hæcenus vobis ab eadem Ecclesia concessa stabili tenore permaneat, & dignius vestrum sit Cœnobium in futuro majoris præmiæ gloriæ adipisci.



Dati die 14. Novembris anno Domini 1088. Pontificatus vero ejusdem Domini Urbani Papæ primo.

Datum Romæ per manus Johannis Diaconi sanctæ Romanæ Ecclesiæ, prosignatoris Domini Urbani II. Papæ, Kal. Novembris. Indictione XI. Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXVIII. Pontificatus vero ejusdem Domini Urbani Papæ primo.

I I.

Bantino Monasterio a se consecrato nonnulla Urbanus PP. concedit Privilegia, atque exemptiones.

Ex Concilio Tom. vii. col. 713.

Exordium.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, universitati Christi fidelium notum in perpetuum.

Divinæ miserationis intuitu, cujus munere, licet immeriti, catholica Ecclesiæ præsidemus, & universæ fidelium potestates constituunt, concedet Apostolicæ Sedis sollicitudinem, & benignam Principum magnificentiam, Ecclesiarum debitam curam gerere, & pro earum pace & quiete cum omni diligentia misericorditer insudare: quatenus, id divina operante clementia, quique jura sua æquo moderamine possidentes, prælati simul & subditi pariter attingere valeant ad promissa fidelibus gaudia sempiterna. Nos itaque in Cassino monte filiorum nostrorum Rogerii ducis, & Boamundi fratris ejus, & Ursonis Abbatis, precum instantia fatigati, cum multitudine confratrum nostrorum Episcoporum ad consecrandum Bantinum Monasterium in honore Dei Genitricis constructum eodem auxiliante pervenimus; cumque opulatione Domini consecrationibus ejus nostris devotis manibus rite peractis, eorumdem virorum illustrium & suorum Comitum & Baronum interventionibus

Monasterium Bantinum ab Urbano PP. dicitur.

piis, ad summam ejusdem libertatem securitatem & pacem a Monasterio ipso, & Ecclesiis ejus, & rebus ac locis omnibus suis, habitis & habendis, omnia episcopalia jura, & publicas omnes exactiones apostolica auctoritate generali perpetua constitutione exclusimus: Attamen a sola tantum Acherontina Ecclesia sanctæ Anastasiæ, intra muros civitatis constructa, Acherontino Archiepiscopo annis singulis unam auri unciam suscipere indulgemus. Hæc interea irrefragabiliter statuentes, ut Christma, Oleum sanctum, Consecrationes altarium seu basilicarum, Ordinationes Clericorum suorum, & cætera spiritualia sacramenta, ab Episcopis Diocesanis, vel quibuscumque Catholicis, Bantini Monasterii Fratres accipiant; qui mandato Apostolicæ Sedis, & auctoritate sustuli, faveant, & eisdem petentibus Fratribus eadem sacramenta gratis & sine aliqua pravitate exhibeant. Insuper autem beati Petri Apostolorum principis auctoritate sancimus, ut omnes cuiuscumque conditionis homines, clericos, & laicos, qui in morte vel in vita ad præscriptum Monasterium, & Ecclesias ejus, & loca cum rebus suis transire, aut in suis Domibus commorantes, qualibet bona temporalia sua elemosynarum largitione conferre voluerint, nullius contradictio inhibeat; & iisdem quæcumque contulerint, parrocinio Apostolicæ Sedis iidem Fratres quiete, & generaliter libera, perpetuo possidebunt.

Decernimus etiam, ut nulli omnino hominum sint, qui præfatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, minuire, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, omni titulo super ea re quarumlibet oppositionum semper excluso. Indulgemus autem eis hæc omnia, Apostolicæ Sedis paternæ pietate inducti, & confratrum nostrorum discreti consilio, & prædictorum Virorum nobilitate, strenuo interventu: & quia Monasterium ipsum post introitum Nortmannorum cum intrinsecus sui expoliatione, & locorum suorum miserabili depopulatione, cum sacrilegis usurpationibus Episcoporum, innumera lugenda detrimenta & indigna sustinuit, quæ breviter in privilegio Comitum Amici notantur: talibus ergo rationibus apertis commota viscera pietatis Apostolicæ Sedis, Monasterium idem cum rebus omnibus suis habitis & habendis, tamquam B. Petri possessionem, cujus est & jus & proprietatis, a jurebus universis atque servitiis cuiuslibet dignitatis vel ordinis omnium hominum, anathematis gladio digne subtrahunt, & defendunt. Ad iudicium, autem perceptæ hujus a Romana Ecclesia libertatis per annos singulos auri unciam nobis nostrisque successoribus ejusdem Monasterii Abbates persolvent.

Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularive persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine divinæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus & hic

Ac libertatibus, & exemptionibus donatum.

Cum Decreto tamen, ut ejus Monachi a Diocesanis Episcopis Sacramenta accipere teneantur.

Futura quæque donatio, nec omnes ei demonstrantur.

Solite conclusiones.

& hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. (a)

III.

De reparatione Ecclesiæ Tarraconensis, cujus favore ea impendi conceditur, quæ necessaria forent itur in Hierusalem, vel in alias partes.

Ex Certaldo, via Ecclesiæ Tarraconensis, editi Bullarii in Apud. Sic. Marc. Hist. pp. n. CCCIII

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, carissimis filiis Berengario Barchinonensi Comiti, ac Marchioni Ermengando Urgellensi, Bernardo Bisuldunensi Comitibus, omnibusque Tarraconensis, & Barchinonensis Provinciae Episcopis, Vicecomitibus, & cæteris nobilibus & potentibus sive laicis, salutem & apostolicam benedictionem.

Series facti.

Dilectissimus & reverentissimus frater noster Berengarius Ausonensis Episcopus, devotione & labore maximo ad Apostolorum limina veniens, diu nobiscum moratus est, cuius nos prudentia, & bonis moribus, ut dignum est, delectati, privilegia, quibus sua, videlicet Tarraconensis Ecclesia per Romanam Ecclesiam donata est, diligenter inspeximus; & quod ad nos est, eandem Ecclesiam tum pro Sanctorum reverentia, tum pro prædicti fratris nostri dilectione, prout iustitia exegerit, honorare & exaltare optamus. Quia igitur corporalia spiritualibus, temporalia æternalibus, celestibus, dignum est, terrestria famulari; hortamur & obsecramus in Domino prudentiam vestram, ut summa ope nitamini Tarraconensis urbis statum ætenuis reparare, quatenus ibi Cathedra haberi possit Episcopalis. Vobis ergo in penitentiam peccatorumque remissionem mandamus, ut potentia & divitiis vestris in restitutionem ejusdem Ecclesiæ devotissime & intentissime defudetis. Eis autem, qui vel in Hierusalem vel in partes alias penitentis spiritu vel devotionis ituri sunt, suademus, totam illam viam & sumptus operam restitutioni Ecclesiæ Tarraconensis impendere: quatenus auxiliante Domino, & Cathedra inibi tuto habeatur Episcopalis, & civitas eadem, Saraceno-rum opposita populis, in murum & antemurale Christiani populi celebretur: quibus eandem ex Dei misericordia indulgentiam pollicemur, quam promererentur, si in dicta via proximitatem exple-rent. Nos siquidem, si vestra bonæ voluntatis effectum, & ferventis studii sollicitudinem cognoverimus, prædicto fratri nostro, & Tarraconen-si Ecclesiæ, quæ ad antiquam ejus dignitatem, spectant, libentissime impendemus, & corporalia

Adhortatio ad eos, quibus hæc data sunt literæ, ad procurandum Tarraconensis Ecclesiæ restitutionem.

Hæc procurantibus eadem indulgentia conceditur, ac si ad sacra læsa pergerent.

(a) Baronius, qui Privilegii hujus exemplar edidit hoc anno 1088, hæc præmittit: Cassini cum esset Urbanus Papa, Rogerius & Boamundus visitarunt eum unâ cum aliis suis Comitibus & Baronibus, & cum eis Urso Abbas Bantini Monasterii: quorum precibus rogatus in Apuliam se contulit unâ cum ipsis ad dedicationem Ecclesiæ S. Mariæ ejusdem Monasterii Bantini, qua a se dedicata idem Urbanus Papa manavit ipsum Monasterium Privilegio. Ex his patet, cui temporis hocce Diploma sit consignandum. Enarratio vero Privilegio, ac post verba illa Amen. Amen. hæc subdit. Sequēbantur ista subscriptiones, atque sigilla. Porro Pontificum signum, in quo Apostolorum nomina, & a tergo imagines plumbo fuisse habentur, cum ejusmodi in extimo circulo inscriptione legitur: BENE-DICTUS DEUS, ET PATER DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

vestra spiritualibus infusis prosequemur: salva tamen Narbonensis Ecclesiæ justitia. Si enim Romani auctoritate privilegii Tarraconensem provinciam canonicè vendicare Narbonensis Antistes nequiverit; nos omni querela liberi, Tarraconen-si Ecclesiæ jus suum restituere, & fratri nostro Berengario pallii dignitatem conferre non prætermittimus, prout mereri studia vestra videbimus. Iterum iterumque vos, carissimi filii, ad-moneamus, ut fratrem nostrum Berengarium in-restitutionem Tarraconensis Ecclesiæ adjuvetis; quatenus & in præsentem gloriam, & in futuro vi-tam percipiatis æternam. Porro si noster ad vos Legatus Domino annuente pervenerit, ei pro Se-dis Apostolicæ reverentia debitam obedientiam, exhibere curate. Datum Romæ Kal. Julii per manus Johannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, & Cancellarii, anno secundo Domini Urbani Papæ II. Indictione duodecima.

Dat. die 1. Julii anno Domini 1089. Pontif. Urbani anno 11.

IV.

Confirmatio Barenfis Archiepiscopatus, bonorumque, ad eam Ecclesiam spectantium.

Ex Baron. ad ann. 1089.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, carissimo Fratri Heliae Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Quia nostris temporibus Ecclesiam, quam Deo auctore regis, frater charissime, Barensem (quæ Canusina dicitur) Omnipotens Deus beati Confessoris sui Nicolai corpore visitare dignatus est: nos auctore Deo, Apostolorum Petri Paulique Vicarii, propter ecclesiastica negotia exequenda in Apulia provinciam descendentes, charissimorum filiorum Romanæ Ecclesiæ Rogerii Ducis, & fratris ejus Boamundi, atque vestris deprecationibus invitati, civitatem vestram pro Beati Confessoris Nicolai dilectione præcipua visitavimus; cum magna undique convenientis populi frequentia, lætitiæque beati Nicolai Reliquias in locum parati adyti conferentes, contra morem nostræ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ te, dilectissime frater in Sede propria consecravimus, beati Nicolai reverentia, & tui populi dilectione devicti. Te igitur in specialem Romanæ Ecclesiæ filium amplectentes amoris intimi brachiis, tuamque, cui Deo auctore præfides, Barensem (quæ & Canusina habetur) Ecclesiam exaltare, & populum tuum tam temporaliter, quam æternaliter glorificare, largiente Domino, & favente iustitia, cupientes, confirmamus tibi presentis pagine auctoritate integrum Barensem, (qui & Canusinus est) Archiepiscopatum, ut tu tuique successores Episcopali jure illum regas, disponas, atque possideas: salva Romæ auctoritate Ecclesiæ, quæ instituitur Domino, Ecclesiarum omnium Princeps est, cuique ut Matri summa debet ab universis reverentia exhiberi. Absque præjudicio ergo iustitiæ quarumlibet Ecclesiarum, sequentes tenorem, qui nostrorum continetur privilegii prædecessorum, Barenfis, sive Canusinæ Eccl. possessiones, sive diceceses tibi tuisque successoribus perpetuo possidendas regendasque contradimus: hæc autem sunt Canusina:

Corpus Beati Nicolai in Ecclesia Barensi.

Urbanus PP. in Apuliam veniens.

Corpus idem Barium translatum recon-dit.

& Episcopum sus manu consecrat.

Bona ad Barensem Episcopos spectantia confirmantur.

quæ sint bona hujusmodi, seu etiam ecclesiæ Barensi subjectæ.

mo octogesimo nono: anno vero Pontificatus Domini Urbani Papæ II. Indictione XIII. nono Octobris.

V.

Constitutio ad Ghicardum * Episcopum Constantiensem, qua excommunicationem in Henricum Regem, & Ravennatem hæresiarum, a Gregorio VII. latam, confirmat, & in eorum Sectarios; inde, quæ agenda in Clericis ab Episcopis excommunicatis ordinatis, constituit.

* leg. Gebhardum.

Ex Abbe To. & Concil. pag. 414. Hanc descripsit P. Jacobus Simonius ex Codic. & Strabonens.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, Ghicardo Constantiensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

Ghicardo opeu pollicetur.

Quia te speciale post Deum manuum nostrarum opus esse perpendumus, & quia specialem in te religionis gratiam esse cognoscimus, idcirco te specialiter adjuvare, tuisque necessitatibus specialiter subvenire Domino annuente satagimus.

Propter quæstiones in partibus Ghicardi agitas excommunicationis Prædecessoris Gregorii sententiam confirmans; Ravennatem Hæresiarum cum Henrico Rege excommunicat.

§.1. Quæstiones autem, quas tuis literis significasti vestris in partibus agitari, apud nos satis frequenter noveris commoveri. Fratrum itaque nostrorum communicato consilio, diuque communicationis quæstione tractata, sancti Prædecessoris nostri Gregorii sententiam confirmantes ita eam Deo inspirante determinavimus.

§.2. Primo siquidem gradu, Ravennatem hæresiarum Romanæ Ecclesiæ invasorem, cum Henrico Rege ejusdem perverfitatis capite, ab omnibus Ecclesiæ Catholice membris alienum & excommunicatum esse censuimus.

Forumque factores.

§.3. Secundo eos, qui armis, pecunia consilio, aut obedientia, ecclesiasticos maxime honores ab eis aut eorum fautoribus accipiendo, eorum nequitie adminiculum subministrant.

Eis vero communicantes non excommunicat, sed in suam communionem, nequaquam sine penitentia ultione, & absolutione recipimus. Sanctis quippe Canonibus cautum constat, ut qui excommunicatis communicaverit, excommunicetur.

§.4. Eos igitur principaliter anathematis vinculis adstringentes, in tertio gradu communicantes eis nos quidem non excommunicamus; Sed quia ipsi se eorum communionem commaculant, in nostram eos societatem nequaquam sine penitentia ultione, & absolutione recipimus. Sanctis quippe Canonibus cautum constat, ut qui excommunicatis communicaverit, excommunicetur.

§.5. Ipsius tamen penitentia atque absolutionis modos ea moderatione discrevimus, ut quicumque seu ignorantia, seu timore, seu necessitate negotii cujusque maximi, & maxime necessarij eorum se convictu, salutatione, oratione, osculove contaminaverit, cum minoris penitentia, absolutionisque medicina societatis nostræ participium sortiatur.

Quicumque ignorantia, timore & se convictu, salutatione, &c. contaminaverit, cum minoris penitentia, in societatem admittitur.

§.6. Eos vero, qui aut spontanea aut negligenter inciderint, sub ea volumus disciplina coercitione suscipi, ut cæteris metus incutiatur; cuius discipline moderamina, quod ad tuam curam spectat, nos tuæ providentiæ, prout oportere videris, pro temporis & personarum competentia servanda committimus.

Eos, qui spontanea aut negligenter inciderint, sub discipline coercitione suscipi jubet.

§.7. Porro de Clericis, qui ab excommunicatis sunt Episcopis ordinati, necdum quidem sententiam ferimus, quia generalis mali contagium generalis Synodi est, cæterio comburendum; tuæ tamen fraternitati hoc respondemus ad præ-

Clericos ab excommunicatis, Episc.

Bituntum, Bitontum Midunium, Juvenatum, Melisita, Rubum, Tranum, Cana, Minervinum, Aquatesta, Mons, Meliorus, Lavellum, Rapulba, Melphis, Bitalbis, Salpi, Cuperfanum, Palimarum, simul & cætera, quæ intra marini litoris ora sita esse cognoscuntur. Hæc vero, & alia municipia, sive civitates prædictis Civitatibus adjacentes, sive longe posite, sed ad eas pertinentes, confirmamus vobis; & omnes fundos, & casales, una cum casis, & vineis, cum servis & ancillis, cum massis & massariis, atque molendinis, cum portibus, & montibus, & pratis, simul cum plebibus sive Ecclesiis, cum omnibus titulis, sive Cappellis suis, simul etiam, cum Monasteriis virotum, seu feminarum, Græcis, aut Latinis cum universis Ordinibus Ecclesiasticis, & quicquid honoris, possessionis, seu dignitatis per legalem largitionem, & juxta concessionem antiquitus tenuisset, & quicquid iustitiæ non contradicit, & antiquitus superadditum esse probatur, & in futurum iuste poterit Barenfis & Canusina Ecclesia adipisci. Atque hujusmodi privilegia presentis auctoritatis nostræ decreto indulgentes statuimus, nullum Regum, vel Imperatorum, Antistitem, nullum quacunque dignitate præditum, vel quemquam alium, aude-re minuere, alienare, sive suis usibus applicare de iis, quæ eidem Ecclesiæ a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel deinceps Domino favente donari contigerit. Præterea fraternitati tuæ pallii usum ex more concedimus, ut eo inter Missarum solemnias dumtaxat Festivitatibus utaris, videlicet: Nativitate Domini, sancti Stephani, Epiphania, Coena Domini Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, sancti Joannis Baptiste, Natalis Apostolorum, & tribus Festivitatibus sanctæ Mariæ, festivitatibus sanctorum Nicolai & Sabini, festivitate Omnium Sanctorum, in annuo Ordinationis tuæ die, in Ordine Episcoporum seu cæterorum Clericorum, in Consecratione etiam Ecclesiarum, in translatione etiam Dom. Confessoris Nicolai. Hortamur itaque fraternitatem tuam, ut honor tantæ dignitatis, supplement utique totius Sacerdotalis Ordinis, moribus tuis convenient; & non solum exteriori homini tuo decorem præstet, & gratiam, sed & interiorem quoque multiplici virtute corroboret. Siquidem ista sunt pallii; omnium virtutum ornamenta cum sint necessaria, inseparabiliter tamen charitas, quæ omnes super-excedit, hac pollentem dignitate comitari convenit. Ad imitanda igitur omnium bonorum, instrumenta, vita & scientia tua subditis tuis sit forma & regula, ut si quid in eis humana fragilitate reprehensibile deprehenditur, intuitu sanctæ conversationis tuæ ad reformationem sinceritatis tuæ corrigatur. Quibus sic studeas dispensationis jura moderari, ut in corrigendis vitiis & zelo reformationis ferveas, & modum temperantia non excedas; & ut multa paucis explicemus, quicquid in sanctorum Patrum dictis repereris, ad tuam, & eorum, qui tibi subduntur, utendum censeas edificationem, quatenus documentis tuis instructi, atque boni Pastoris vestigia consecuti, ad Regnum summi Pastoris tecum valeant pertingere, & perpetua vite felicitatem Domino annuente percipere. Amen.

Decretum immunitatis.

Pallium Helie Archiep. conceditur.

Adhortatio ad eundem.

Datum apud Barium per manus Joannis Diaconi, anno Dominicæ Incarnationis millefimo Bull. Rom. Tom. II.